

V. Tales sunt hypocritæ, qui amicitiam quidem et pacem cum Deo simulant, interim tamen malis suis operibus eum offendunt; in ore nomen Dei, piaque verba gerunt, in corde vero venenum: velut sepulera dealbata, quæ foris patent pulchra, intus plena sunt ossibus mortuorum: incipiunt a cruce et finiunt cum Satana et Barabba, quemadmodum incantatrices: bene et docte de piis rebus loquuntur, sed opera eorum verbis non respondent, saltem constanter: fingunt se osculari Deum, interim sæpe mordent, dum Deo videntur deferre gloriam, revera autem rapiunt et sibi attribuunt, ut merito interrogari debeant: *Amice, ad quid venisti? Ad osculum an ad morsum?*

Et quam isti mercedem accipient? Qua mensi Deo fuerint, eadem quoque remetiatur illis Deus; quemadmodum peregrinus quidam dicitur solvisse hospitem suum sonitu pecuniæ, qui ab eodem pastus erat odore tantum ciborum.

VI. Talis est mundus, qui et ipse dum blanditur suis amatoribus, adeoque osculum præbet, interim eos tradit hostibus ac laqueis quam plurimis, ac sæpe ipsis dæmonibus ad æternam mortem. Idem fecisse legimus Joab ducem, quando salutavit Amasan: *Salve, mi frater*, et tenuit manu dextra mentum ejus, quasi osculans eum: altera vero gladio, quem Amasa non observavit, percussit eum in latere et occidit, II. Regum XX. Simili modo mundus representat homini delectationem, sed non gladium, curas, labores, pericula, scrupulos conscientiæ, et potissimum gehennam. Superbis monstrat et offert dignitatem eminentiæ, sed non curas et invidiam, quæ illam consequuntur; avaro, præstantiam auri et fortunarum, rosam ipsam, sed non spinas sollicitudinum, quæ illam cingunt. Abscondit insuper aculeum conscientiæ, mortis et judicii. Quisquis igitur sapit, mundi osculum caveat, ne fiat gaudium inimicis suis et præda hostibus tartareis, etc.

CONCIO VIII

DOCUMENTA.

I. Quid sit Christi passio. — II. Quid sit ejus mors. — III. Quanta sit Christi charitas. — IV. Quanta ejus sapientia. — V. Quanta ejus potestas. — VI. Quanta ejus humilitas. — VII. Documenta a Petro.

THEMA.

Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis. Joan. XIII.

Magna et seria esse debent, quæ in hodierno

evangelio docet nos Salvator; siquidem ad hanc ejus doctrinam audiendam vocavit nos jamdudum, ante Christum natum, propheta Isaias, cap. II. cum dixit: *Venite et ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Jerusalem.* Conveniunt autem doctores, cœnaculum, in quo Christus primo miro opere, (pedum lotione) deinde longo et præclaro sermone docuit discipulos, fuisse in monte Sion situm. Itaque, auditores, venite ascendamus ad montem Christum, audiamus vias, quas ibi nos docebit Dominus per hodiernum evangelium.

I. Docemur, quid sit passio Christi; hora scilicet quasi partus. Ita enim Joannes scribit: *Sciens Jesus quia venit hora ejus, qua nimirum pati deberet.* Hanc autem horam iisdem verbis describit paulo post Dominus in sermone post cœnam habito, *Mulier cum parit, inquit, tristitiam habet, quia venit hora ejus, cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium.* Qua similitudine intendit quidem explicare dolorem discipulorum de sua passione, quæ fuit tamen eadem depingit suam passionem, quæ fuit hora Judæorum et potestas tenebrarum ad exserendum virus suum in agnum immaculatum. Fuit deinde hora Christi, quia etsi passio Christi duravit ad bis novem horas, a tertia videlicet noctis usque ad duodecimam et inde ad nonam diei; eam tamen ob amorem et desiderium salutis nostræ non reputabat nisi unam horam: quo modo Jacobo patriarchæ bis septem anni, quibus serviebat pro Rachele, videbantur esse dies pauci præ amoris magnitudine, Genes. XXIX. Fuit denique hora quasi partus ejus, acerbissima quidem et tristissima, brevi tamen in maximum commutata gaudium, quando redivivus vidit genus humanum vita gratiæ donatum, et Ecclesiam suam exurgentem. Quare tunc non meminit pressuræ, quia omnium injuriarum paulo ante acceptarum quasi oblitus, nec ulciscitur de Judæis, nec exprobrat discipulis fugam, desertionem, negationem, imo nec meminit passionis suæ; unde discipulis duobus in Emmautico itinere eam commemorantibus, ipse quasi in seipsum et peregrinus nescisset, quid actum esset secum Jerosolymis, respondit: *Quæ? Lucae ultimo.* Hujus igitur exemplo nos omnes gaudium existimemus, cum in varias tentationes inciderimus, scientes quia quævis tribulatio hora tantum est respectu æternitatis; hora est respectu præmii cœlestis, quod nobis parit.

II. Docemur, quid sit ejus mors; transitus nimirum, et quidem ex hoc mundo ad Patrem.

Præsignatus fuit hic ejus transitus per transitum Judæorum, quo de Ægyptiaca servitute in terram promissionis transierunt, de quo immediate ante mansionem fecerat Joannes: *Ante diem paschæ.* Pascha autem festum erat transitus ex Ægypto. Transiit autem Christus per mortem suam de labore ad quietem, de mortali ad immortalem vitam. Præsignatus et in transitu Jordanis, qui in eodem itinere ipsoque in terram sanctam ingressu contigit, Josue III. Ibi enim sacerdotes populum præcesserunt et intulerunt arcam in Jordanis vadum, et hic sacerdotes maxime Christum impulerunt in mortem: populus post ipsos, utpote eorum jussa, consilia et exempla sequens. Ibi aquæ Jordanis tempore messis ripas alvei sui impleverunt, hic dolores Christi supra modum aucti omnes ejus sensus et vires occupaverunt. Ibi aquæ superiores steterunt detentæ ne ad ima defluerent, inferiores descenderunt in mare mortuum: hic in parte animæ superiore, quæ intuebatur Deum, stetit omne gaudium omnisque consolatio, ne deflueret in partem animæ inferiorem et sensitivam, quæ plena erat mortis doloribus. Ibi stetit in Jordanis alveo arca et continuit aquas, donec Hebræi omnes transirent: hic stans in cruce Dominus continuit iram Dei et redemit omnes suo tempore per baptismum transituros ad promissam beatitudinem. Hic ergo est Christi transitus, sed et nostra mors transitus quidam est, non absimilis illi, de quo diximus. Ibi enim Jordanis aquæ inundaverunt, hic tentationum fluctus auget Satan, qui ultimo vitæ tempore maxime insidiatur; taceo horrorem mortis, morborum acerbissimam. Ibi ex colliquefactis Libani aliorumque montium nivibus Jordanis aquæ creverunt: hic voluptatum, honorum, opum jamjam deferendarum metu, varii vastique curarum et mœstitiarum existunt gurgites. Ibi supernæ, quæ a dextris erant, aquæ intumescabant ad instar montis et transeuntibus imminebant, inferiores vero, quæ a sinistris, defluebant in mare mortuum: hic plurimum molestiæ et terroris afferunt morientibus ea, quæ ipsis dextra et prospera erant: juxta id Ecclesiastici XLI. *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis: viro quieto et cujus viæ directæ sunt in omnibus, etc.* Aquæ inferiores et sinistrae sponte quasi sua cedunt, faciuntque ut homo libenter hinc emigret, prout ibidem sequitur: *O mors, bonum est judicium tuum homini panem indigenti et qui minoratur viribus, defecto ætate.* Et quis hic dux noster, nisi noster Josue, seu Jesus, qui per fluctus medios sicco vestigio deducat?

III. Docemur quanta sit ejus charitas. Hanc

enim vigilante verbo notavit Joannes cum dixit: *In finem dilexit eos.* Quis vero nunc exponit quid sit *in finem diligere*? Sane apostolus Paulus scribit ad Ephes. III. *flectere se genua sua ad Patrem Domini nostri Jesu Christi ut possumus scire supereminentem scientiam charitatis Christi.* Quæ autem sit ea supereminens charitas, videtur exponere verbis immediate præcedentibus dicens: *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis; quæ sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum;* quasi explicans quid sit diligere in finem, nimirum in omnem dimensionem. Ergo dilexit Christus in finem suos quoad latitudinem, quia dilexit non angelos solum sed et homines: non viventes solum sed et patres in limbo, non amicos solum sed et inimicos; non Judæos solum, sed et gentiles, quibus paravit epulum eucharisticum, dum illi parent ei crucem. Inter illos Judam admisit ad suam cœnam et pedum ablutionem; quem etiam usque in finem non destitit vocare ad se et retrahere a scelere. Dilexit usque in finem, quoad longitudinem, quia perseveranter usque ad finem vitæ suæ, imo et post mortem semper. Sic enim testatur Jerem. XXXI. *Charitate perpetua dilexi te; ideo attraxi te miserans tui.* Parentum amor erga filios solet paulatim imminui et refrigerare ac sæpe omnino extinguere. Non refrigit amor Christi erga discipulos, tametsi illorum amor reciprocos ingruente tentatione non parum imminutus fuit. Dilexit usque in finem, quoad sublimitatem, quia sancte in ordine ad beatitudinem, quæ est finis hominis supernaturalis; ad quem ut nos perduceret, mortem acerbissimam pertulit, scalamque nobis in cœlum erexit, qualem olim in somno vidit Jacob, crucem scilicet per quam non difficile, si volumus ad cœlum ascendere possumus. Dilexit usque in finem quoad profunditatem, quia intensissime, usque ad mortem et sepulcrum, ita ut pro nobis mori non dubitaret, imo ut seipsum nobis in cibum et potum daret. Quæ scientia, quis intellectus comprehendere hunc amorem potest?

IV. Docemur, quanta sit ejus sapientia et scientia. Audimus enim in hodierno evangelio novisse eum, quæ in cœlo et arcano Dei consilio, novisse quæ circa ipsum, novisse quæ circa proximum fiunt. Primum indicat Joannes cum ait: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* Vidit ergo se constitutum esse regem cœli et terræ, seu ut loquitur apostolus ad Hebræos I. *Hæredem universorum.* Alterum cum ait: *Sciens quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Et rursum: *Quia a Deo exivit et ad Deum vadit.* Tertium, cum inquit

Et vos mundi estis : sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset, qui traderet eum. Nos in omnibus his si non cæci, cæcutientes saltem sumus. Nescimus enim imprimis quid statuerit de nobis Deus : nec certo nobis constat, ubi paraverit nobis locum, in cælo an apud inferos ; et si in cælo, ut speramus, nescimus quæ et quanta sit nostra hæreditas ; quia hæc non in manu nostra sed in manu Dei sunt, teste sapiente Ecclesiaste, cap. IX. *Sunt justi atque sapientes et opera eorum in manu Dei : et tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit : sed omnia in futurum servantur incerta.* Deinde ut ibidem subdit Sapiens : *Nescit homo finem suum ; sed sicut pisces capiuntur hamo et sicut aves laqueo comprehenduntur : sic capiuntur homines in tempore malo.* Nos ergo nescimus tempus, locum et genus mortis nostræ ; sed sicut pisces repente incidimus in nassam, retia vel hamum mortis. Nescimus plerique quo vadamus cum hinc emigramus, ad Deumne an ad diabolum. Unde Aristoteles moriens : *Nescio quo vado, fertur dixisse.* Denique nescimus qualis sit proximus noster, mundus an immundus, amicus an inimicus noster, fidus an perfidus. Sæpe quem Joannem existimamus et in sinu nostro fovemus, Judam experimur ; et e contra.

V. Docemur, quanta sit ejus potestas et imperium ; siquidem ait Joannes : *Omnia dedit ei Pater in manus ; quasi dicat : Totum mundum (quod indicat sphaera seu globus mundi in Christi dextra pingi solitus.)* Qua ratione ? inquis. Dico ea ratione, qua legimus Jos. VI. traditam esse Josue civitatem Jericho a Deo dicente : *Ecce dedi in manu tua Jericho et regem ejus omnesque fortes viros.* Itaque Dei jussu septem diebus circumvit urbem cum sacerdotibus arcam gestantibus et tubas infantibus et sicque ultro corruentibus urbis muris, *Hierichuntem*, ait S. Chrysostomus, hom. XXIII. in ep. ad Ephes. *Israelitæ choreas agentium more potius quam bellantium evertunt.* Jericho, ut sæpius alibi notavimus, quia luna exponitur, mundum instabilem et vitiis plenum repræsentat. Hunc ergo Deus Pater dedit Filio in manus, cum rege et fortibus ejus, quia dedit evertendum quoad idololatriam et ad fidem convertendum, miro pugnandi genere, buccinis videlicet apostolicis. Dum enim apostoli velut cornua arietina (tales enim erant buccinæ illæ Josue VI.) pauperes, simplices, rudes, mundum circumeuntes insonuerunt evangelium, factum brevi tempore, ut corrueret idololatria ; et imperator Romanorum principesque hujusque sæculi subderent colla Christo. Ad hæc ita Deus Pater dedit mundum Filio in manus, ut eum extremo tempore totum subruere, et in voce tubæ novissimæ congregare

omnes mundi incolas ac judicare posset. Tunc ergo noster Josue seu Jesus prosternet urbem Jericho, cum mundum igne exuret, cum reprobos variis signis e cælo et elementis conterrefaciet, cumque solam domum Rahab, Ecclesiam videlicet (quæ fidem apostolicam per fidem et obedientiam suscepit et in superiore domus parte locavit, hoc est, et terrenis rebus præposuit) salvabit et cum domo Israel, angelis inquam suis sociabit ; reliquos vero omnes, utpote reprobos et anathemate percussos perdet in gehennam. Quanta hæc potestas ? Quantum Christi imperium ?

VI. Docemur, quanta sit ejus humilitas et demissio, a summo nimirum usque ad infimum locum, a cælesti throno usque ad piscatorum sordidos pedes. Noverat Dominus se Dei Filium, sibi que omnia a Patre tradita esse : noverat se a Deo exivisse et ad Patrem vadere, uti recte advertit Joannes : *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, etc.* hac tamen sua majestate posthabita, demisit se ad servulorum suorum pedes abluendos, stupendo humilitatis exemplo. Quæ causa est, cur aliqui nolint se humiliare, subjicere, cedere, tacere, contumelias et injurias perferre, quia sciunt et considerant suam excellentiam, dignitatem, nobilitatem, doctrinam, opulentiam, etc. in his se speculantur velut pavo in flabello suo ; inde inflammantur, irascuntur, indignantur, contemnunt alios, etc. At non ita Christus, qui non ignarus supremæ suæ excellentiæ, ad infima se abjecit. *Non magnum est*, inquit S. Bernardus, hom. IV. super Missus, *in abjectione esse humilem. Magna prorsus et rara virtus est humilitas honorata.*

Videmus vias Domini magistri et legislatoris nostri, superest ut videamus, quomodo in his ambulavit Petrus, primarius ejus discipulus.

VII. Ergo Petrus primo perspecta Domini humilitate et ipse se in terram abjecit, tantamque humilitatem admiratur dicens : *Domine, tu mihi lavas pedes ?* Tu summa majestas et Dominus meus ? Mihi piscatori et servo tuo lavas propriis manibus, quod et vilium vernarum, pedes fetentes, sordidos, abjectos ? Jure S. Augustinus, vel quisque auctor est serm. XXVIII. ad Frat. in eremo, existimat Petrum a lotionem refugientem per cœnaculum discurrens velut insensatum et exclamasse : *Tu mihi lavas pedes ? Non lavabis mihi pedes in æternum. Tu mihi lavas pedes ?* Hoc nos auditores, imitari deberemus, cum ad nos divertit summa illa majestas in sancta communione.

Secundo, perspecta Christi potestate et majestate, exhibet ei reverentiam, adjiciendo hoc :

Non lavabis mihi pedes in æternum. Hæc enim verba protulit ex reverentia et veneratione Christi ut docet Cyrillus, quasi indignissimum ratus, ideoque non patiendum in æternum, ut tanta majestas tam vile obsequium sibi præstaret. *Asserveraverat autem*, inquit Euthymius, *honorans illum ac venerans.* Et Beatus Laurentius Justinianus, de triumph. Christi agone, capite III. in ea Petri verba exclamat : *O divinam Petri reverentiam, Deique venerationem !* Ab amantissimo enim observantissimoque Domini sui, non ab inobedienti pectore profecta sunt hæc Petri verba. Quis non horresceret prostratum coram se videns Dominum ? Quis pedes proferre auderet provolutum coram se cernens seraphinorum summum Regem ?

Tertio, perspecta summa ejus sapientia, cessit et obedivit juxta nomen suum, (Simon enim obediens exponitur) quod sapienter et apposite attribuit hic Petro Joannes inquis : *Dicit ei Simon Petrus : Domine, non tantum pedes, etc.* q. d. Juste vocatus est Simon, quia non voce tantum, sed opere Simonem se exhibuit. Fuit autem ea obedientia præclara triplici ex capite, quia celeris, quia cæca, quia abundans, quæ sunt tres eximiæ notæ sanctæ obedientiæ. Celerem præstitit, quia cognita Christi voluntate nihil est cunctatus, *in auditu auris obedivit* Christo, Psal. XVII. Cæcam deinde exhibuit, quia horribilis præcepti causam ignoravit, juxta id : *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.* « Vera autem obedientia (inquit S. Gregor. lib. I. Reg. III.) neque præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit, etc. » Abundantem denique et cumulatam, quia plus quam petebatur obtulit : *Domine, non tantum pedes, sed et manus et caput.* « At perfecta obedientia, (ait S. Bernard. in tract. de præcep. et disp.) legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis et ad omne quod injungitur, spontanea, vigore liberalis alacrisque animi modum non considerans in infinitam libertatem extenditur. »

Quarto, perspecta ejus charitate, reciprocam rependit, dum audiens comminationem separationis a Christo, horrore percussus, non tantum pedes, sed se totum obtulit ad lotionem, cupiens potius immergi totus adeoque suffocari in aqua, quam a Christo separari. Nullum tonitruum, nullum fulmen ita terruit aliquem, uti hæc vox Petrum : *Non habebis partem mecum.* Quin etsi gehennam Petro comminatus fuisset Dominus, sine dubio non tam acriter eum perculisset. Hic enim est sanctorum horror, a Christo separari, cui per

amorem arctissime adhærent, magis quam dens ori quam anima corpori, quam medulla ossi. Unde exclamat Paulus ad Rom. VIII. *Quis me separabit a charitate Christi ?*

Postquam ergo, auditores, vidimus magistri et Domini nostri vias ; necnon discipuli sequelam, superest ut nos quoque ambulemus in ejus semitis, etc.

CONCIO IX.

MYSTERIA.

I. Qua die cœna peracta. — II. Quando et quomodo transiit ad Patrem Christus. — III. Quinam sui, quos dilexit. — IV. Quid in finem diligere. — V. Cur Joannes meminit proditoris. — VI. Cur agnominat Iscarioten. — VII. Cur per proditorem venditus Christus. — VIII. Cur lavit Dominus discipulorum pedes. — IX. A quo discipulorum cepit lotionem. — X. Cur renuit lavari Petrus. — XI. Cur tam severe minatus Petro Dominus. — XII. Quomodo lotus non eget, nisi pedum lotionem.

THEMA.

Scitis quid fecerim vobis ? Joan. XIII.

Propheta regius quamvis illuminatissimus in Scripturis sacris, creberrime tamen aliis aliisque verbis orat : *Revela oculos meos et considerabo mirabilia de lege tua :* Heb. *Devolve ab oculis meis (velamen caliginis scilicet) et clare intuebor mirabilia legis tuæ.* In quæ verba Sanctus Hieronymus, ep. ad Paulinum ait : « Si tantus propheta tenebras ignorantia confitetur, qua nos putas parvulos et pene lactantes inscitia nocte circumdari ? Hoc autem velamen non solum in facie Moysis, sed et in evangelistis et apostolis positum est, et nisi aperta fuerint universa, quæ scripta sunt ab eo qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit, nullo alio reserante pandentur. » Patet etiam ex hodierno evangelio, non omnia Christi gesta, tametsi oculis spectata, a discipulis intellecta fuisse. Audimus enim Petro Dominum dicentem : *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.* Sed nec postea quidem intellexisset, quid sibi vellet lotio pedum, nisi ei tenebras magister abstersisset et mysterium aperisset dicens : *Scitis quid fecerim vobis ? etc.* Nos ergo, auditores, fateamur a potiori, nos esse parvulos et lactantes, tenebris circumdatos et proinde cum Davide oremus : *Revela oculos meos et considerabo mirabilia tua.*

I. Qua die Christus cœnam agni paschalis peregit ? Siquidem Joannes hic ait, ante diem festum paschæ, reliqui vero tres evangelistæ primo

die azymorum, qui tamen dies cum paschate a scena agni inchoabant, factam esse cœnam. Respondetur Judæos inchoasse dies festos, uti et sabbata sua a vespere præcedentis diei, finisse in vespere sequentis, adeoque duas quodammodo vespere tribuisse illis diebus, primas et secundas, quemadmodum fit in festis Ecclesiæ, et hic erat dies Judæorum legalis. Cæteras autem gentes inchoasse diem ab exortu lucis et finisse in occasu, et hic est dies artificialis. Cum ergo primus azymorum dies festus esset incipiebat a vespere ferie quintæ, quæ erat luna quarta decima in qua juxta legem, Levit. XXIII. Dominus more cælerorum Judæorum comedit agnum paschalem. Quare si loquamur de die legali Judæorum, comedit Christus agnum primo die azymorum seu paschatis, qui ritu Judaico incipiebat tunc a vespere ferie quintæ, et hoc dicunt tres priores Evangelistæ. Sed si loquamur de die artificiali, qui ritu gentium a luce inchoabat, tunc comedit Christus agnum ante diem festum paschæ seu azymorum, utpote qui nondum illuxerat, loquendo de solis ortu, juxta priorem diei acceptionem, dici debet comedis agnum die quinta decima; juxta posteriorem die decima quarta, quæ tamen una et eadem dies erat. Præceptum autem erat Levit. XXIII. primo: *Mense primo (Nisan, qui partim Martio, partim Aprili nostro respondet, prout novilunium in unum vel alterum incidebat) quarta decima die mensis ad vespere phase Domini est.* Dies autem illa decima quarta, non erat, feste nisi in vespere primum, in qua phase immolabatur, tam a Christo, quam a Judæis aliis. Deinde præcipitur: *Et quinta decima mensis hujus solemnitas azymorum Domini est.* Dies ista festa erat, et incipiebat a vespere præcedentis diei, in qua pascha comedebatur. Quod si Joan. infra cap. XVIII. ait Judæos feria sexta adeoque decima quinta die mensis ingredi non huisse prætorium ne contaminarentur et ut comederent pascha, non intelligendus per pascha, agnus paschalis, qui pridie jam die, scilicet decima quarta comedi ex lege debuit, sed de paschalibus aliis cibis, azymis et aliis, quos item legali cum munditie comedere debebant. Nisi quis dicere malit, principes Judæorum in Christi comprehensione et condemnatione occupatos, necum dispensasse, ut postero primum die suum hase devorarent; quasi non sapuerit illis agnus legalis, nisi prius devorassent agnum illum Dei verum et immaculatum, qui tollit peccata mundi.

II. Quando et qua ratione Christus transiit ad Patrem? Respondetur, cum ad mortem perrexit, tunc inchoavit iter ad Patrem, finiit cum in cœ-

lum ascendit. Tunc enim novo modo ad Patrem ivit, quando sua humanitate cœleste ejus palatium intravit, et sedit ad ejus dexteram. Tempus intermedium a morte usque ad ascensionem, quasi via fuit et transitus, cujus typus erat Judæorum phase, quod transitum significat, quia eo comesto transierunt ex Ægypto ad terram promissionis; quo modo post suam phase Christus transiit de mundo ad Patrem. Transitus ille legalis, hic evangelicus fuit. *Uterque, ait Beda in Joannem, sanguine consecratus est: ille paschalis, iste ejus, de quo dicit apostolus: Pascha nostrum immolatus est Christus.*

III. Quinam illi sui, quos dilexisse dicitur Christus. Respondetur, esse apostolos, quos peculiari ratione veluti suos, intimos scilicet et amicos diligebat. Habuit quidem et alios suos, Judæos scilicet de quibus Joan. I. *Et sui cum non receperunt, sed titulo cognationis tantum et creationis, non titulo amicitie seu amoris.* Suos porro, qui in mundo erant, adjecit evangelista, quia in mundo relinquendi erant. Vel secundum Chrysostomum, quia habuit etiam alios amicos suos in limbo, Abraham, Isaac, Jacob, etc.

IV. Quid est: *In finem dilexit eos?* Respondetur primo, dilexit ardentissimo et maximo amoris signo exhibito, velut lotionem pedum, eucharistia, et sermone præter morem prolixiore et amantissimo. Itaque in finem, hoc est, usque in finem seu adeo dilexit, ut non posset magis. Quid enim amplius facere poterat postquam se apostolis etiam in cibum dedit? Secundo, dilexit constanter, in finem, hoc est, usque ad finem vitæ seu mortem, (tametsi etiam post mortem suam dilexit) quæ terminus censetur actionum humanarum. Tertio, mystice dilexit ordinate ut in finem, hoc est, in ipsum Christum transiret ex hoc mundo, ut exponit Augustinus. Quarto, dilexit in ordine ad beatitudinem consequendam, ut explicat Dion. Carthusianus. Omnia hæc ostendunt, quomodo debeat diligere proximus, nimirum ardentem, constanter, ordinate et post Deum, denique etiam sancte ad salutem ei parandam.

V. Cur Joannes meminit hic proditoris Judæ? Respondetur primo, quia postea etiam de illo ager cum passionem Domini describet; secundo, ex sententia divi Augustini et Chrysostomi, ob stuporem et terrorem, quasi inauditam rem narraturus, quod Filius Dei proditori suo, quem agnoverat, pedes lavare dignatus fuerit. Miserat diabolus sagittas avaritiæ et impietatis suæ in cor Judæ, velut in scopum; in idem etiam Christus misit sagittas amoris sui. En certamen duorum sagittariorum in eundem scopum.

Christus ei cœnam apposuit, pedes lavit, osculum et amicum appellationem impertiit. Quantæ hæc sagittæ? Sed cor tamen ejus tangere et vulnerare non valuit, quia id jam prius vulneravit diabolus: Christo enim durum et obstinatum, diabolo vero molle præbuit cor Judas.

VI. Cur agnominat Iscarioten? Respondetur, ut ab altero, eoque Sancto Juda Thaddæo illum separet, velut scabiosam ovem a sana, ne huic affricetur illius languor, Iscariotes autem, dicitur videtur ab oppido Iscarioth quod erat in tribu Ephraim, auctore S. Hieronymo, in c. XXVIII. Isaie.

VII. Cur per prodicionem vendi se permisit Dominus? Respondetur, ob plures causas. Prima est, ut satisfaceret pro injuria quam Deo nos intulimus, dum pro uno pomo vendidimus nos ipsos dæmoni in paradiso. Voluit ergo Dominus, qui per omnia tentatus est, hujus etiam gravissimæ injuriæ expers non esse, et pro vilis pretio vendi, siquidem pro viliori longe nos vendidimus Deum et nos. Fuit autem hæc injuria gravissima. Primo, quia qui venditur, Dei Filius est. Vendi solent pecora, et per abusum mancipia, non autem liberi homines. Quid igitur vendere Deum? Secundo, quia venditor, non hostis, sed discipulus Christi fuit, unus ex duodecim ipsi familiarissimis, commensalis ejus, etc. Tertio, quia causa venditionis levissima, motus avaritiæ. Quarto, quia instigator fuit diabolus, qui ejusmodi motum misit in cor Judæ. Quinto, quia emptores erant hostes, Christo infensissimi: non amici, non propinqui, non barbari, sed lupi, leones, ursi, ad laniandum parati. Sexto, quia pretium vilissimum et indignissimum, triginta argenteis; quod a Zacharia propheta, c. XI. vocatur *decorum pretium*, per ironiam, hoc est, vilissimum et indignissimum. Accedit quod Judas in potestate principum ponit pretium. *Quid vultis mihi dare?* Quasi accepturus, quidquid illi offerrent. Quia ergo tam indigne venditus est Christus, meruit nos emere.

Secunda, ut præberet nobis exemplum raræ humilitatis, velut qui amore nostri servorum instar vendi voluit. Quis autem nos ita despicit et vilipendit, ut non pluris æstimet triginta argenteis? S. Ambrosius, l. V. super Lucam ait: « Voluit Dominus deseri, voluit prodi, voluit ab apostolo suo tradi, ut cum sis desertus a socio tuo, proditus ab ipso, moderate feras tuum errasse judicium, periisse beneficium. »

Tertia, ut doceret nos cautelam, ne in homine confideremus, aut cuivis nos crederemus, tametsi sint domestici et familiares. Hinc enim monet Ecclesiasticus, c. VI. *Ab inimicis tuis separare et*

ab amicis tuis attende. Et Jeremias, cap. IX. *Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam, etc.* Similiter Michæas, capite VII. *Vir fratrem suum ad mortem venatur.* Et mox: *Nolite credere amico.* Et paucis interdictis: *Et inimici hominis domestici ejus.*

VIII. Cur lavare voluit Dominus discipulorum pedes? Respondetur, primo, ut exemplum eis præberet humilitatis et mutuae charitatis. Hanc causam ipse tradidit: *Si ego lavi pedes vestros Dominus et magister vester, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, etc.* Idem obsequium commendat apost. I. Tim. V. in vidua: *Si hospitio recepit: si sanctorum pedes lavit.* Commendat et S. Augustinus, tract. LVIII.

Secundo, ut indicaret se ablutum nos per sanguinem suum, juxta id Apocal. I. *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo;* quasi adumbrare volens hodie, quod sequente die facturus erat. Tunc enim antequam in crucem tolleretur, vestimenta sua posuit, cum nudatus est, præinxit se linteo honestatis causa: misit ex cruce aquam in pelvim, id est, sanguinem in sacramenta, quo mundamur.

Tertio, ut doceret rationem præparandi nos ad dignam eucharistiæ susceptionem, per penitentiam videlicet, qua abluimus pedes, id est, gressus et actus nostros, dum os sacerdoti denudamus, et tergendos porrigimus, quemadmodum alibi diximus.

IX. A quo discipulo cœpit lotionem Christus? Respondetur, id non constare certo. Origenes, Chrysostomus, Euthymius et Theophylactus sentiunt a Juda cœpisse; tum quod illi prius mederi deberet medicus, qui gravius ægrotabat, tum ut illum hoc amoris obsequio a flagitio patrando averteret, tum ut nos doceret benefacere et inimicis.

S. vero Augustinus, Beda, Rupertus et alii probabilius existimant a Petro inchoasse; siquidem credibile est alios omnes discipulos, si quis illorum prior lotus fuisset, idem dicturos fuisse, quod dixit Petrus, et simili modo compulsos, quod si vidisset Petrus, non fuisset ausus postea reluctari. Itaque docere voluit a capite incipientem esse morum reformationem, siquidem Petrus designatus erat caput et rector Ecclesiæ.

X. Cur renuit lavari Petrus? Respondetur, primo, præ stupore et admiratione tantæ in Christo humilitatis, quod ipse Dei Filius cum tanta sua abjectione tantopere vellet honorare discipulum piscatorem, pauperem, etc. Unde quemadmodum olim post capturam piscium Christi divinitate perspecta, stupor circumdederat eum, dicentem: *Exi a me, Domine, quia homo*